

De atropa belladonna : dissertatio inauguralis medica ... / auctor C.F.H. Deininger.

Contributors

Deininger, C. F. H.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1833.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xxxxsu4de>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
ATROPA BELLADONNA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXXI. M. MAII A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
C. F. H. DEININGER
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

I. C. A. ROEPKE, MED. ET CHIR. DD.
M. BLÜMNER, MED. ET CHIR. CAND.
F. G. ROST, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTEN LENOX AND TILDEN FOUNDATIONS

500 N. 5TH ST. NEW YORK, N. Y.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTEN LENOX AND TILDEN FOUNDATIONS

500 N. 5TH ST. NEW YORK, N. Y.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTEN LENOX AND TILDEN FOUNDATIONS

500 N. 5TH ST. NEW YORK, N. Y.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTEN LENOX AND TILDEN FOUNDATIONS

V I R O

AMICISSIMO, CONSOBRINO
DILECTISSIMO

***AUGUSTO SUIN
DE BOUTEMARD,***

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORI RINSBERGENSI,

NEC NON

VIRO EXPERIENTISSIMO

AUG. VETTER,

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORI BEROLINENSI

OPTIME DE SE MERITO

**HASCE
STUDIORUM PRIMITIAS**

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTORI

PRAEFATIO.

Quam a majoribus mos ad nos traditus sit, specimen quoddam inaugurale conscribendi, inter multa, quae scripturo tractanda sese offerunt, de Atropa Belladonna nonnulla verba facere mihi proposui. Quem ad finem omnibus auxiliis, quae in promptu mihi fuerunt, diligenter usus sum. Neque novi, neque iis meliora, quae jam dicta sunt, me dixisse lubentissime profiteor. Jam vobis benignissimis hocce meum opusculum trado, quaeso atque rogo, ut humaniter dijudicetis, et pauca illa, quae afferre conatus sum, non prorsus lectu indigna habeatis.

Scriptores de Atropa Belladonna.

- Faber, Strychnomania. Aug. Vind. 1677. 4.
Raii, histor. plant. Lond. 1686. fol.
Sicelius, Diatribe botan. medic. de Belladonna. Jen. 1724. 8.
Alberti, Dissert. de Belladonna tamquam specifico in cancro praesertim occulto. Halae 1739. 4.
Lambergen, Dissert. sistens ephemeridem persanati carcinomatis. Groening 1754.
Darlunc in Vandermonde de Medicin, T. XI. Paris 1760. 8.
Getaker, Observations on the internal use of the Solanum. Lond. 1757.
Rossi, de plantis, quae venenatis habentur. Florent. 1762. 4.
Zagoni, de inventis hujus seculi in arte salutari novis. Ultroject. 1764. 4.
Timmermann, Progr. de Belladonna. Rint. 1765.
Lewis, Materia medica. 1771. 4.
Stromeyer, Dissert. de plant. solan. Goett. 1772.
Evers, Berlinische Sammlung. T. V, Berl. 1773.
Schmucker, vermischte chirurg. Schriften. Berlin 1776. 8.
Daries, Dissert. de Atropa Bellad. Leipz. 1776.
J. H. Münch, von der Belladonna. Goett. 1783 und dessen Beobachtungen über Bellad. Stendal 1789 — 95.
Buchholz, über die Wirkung der Belladonna-Wurzel bei schon ausgebrochener Wuth. Erf. 1785.
Ludwig, Dissert. de Belladonna. Jen. 1785.
B. F. Münch, prakt. Abhandl. von der Belladonna etc. Gött. 1795.
Mikwitz, Dissert. de usu Bellad. in morsu canis rabidi. Jen. 1791. Im Auszuge in Hufeland's Journal. Bd. VI. p. 679.
Hanemann, Heilung und Verhütung des Scharlachfiebers. Gotha 1801.
Kupfer, Dissert. de Belladonnae usu in sananda contractione nimia iridis. Erlang. 1803.
Boiley, observat. relative to the use of belladonna in painful disorders of the head and face. Lond. 1818.
Wildberg, einige Worte über das Scharlachfieber und den Gebrauch der Belladonna als Schutzmittel gegen dasselbe, Leipz. 1826.
Sundelins Handbuch der speciellen Heilmittellehre. Berl. 1818.
Vogts Pharmacodynamic. Giessen 1828.
Richters ausführliche Arzneimittellehre.

I. DESCRIPTIO PLANTAE.

Atropa Belladonna, quae Solanearum familiae a Jussieu et a Linnaeo Pentandr. monogyn. adnumerata est, diversis causis diversa, quae hic enumerare forsitan operae pretium sit, nomina ducit: nomen graecum est Στρυχνος μελακέρασος, Belladonna (Tournef., Matthioli, Tragi, Raii, Dioscorid.), Atropa (Royen), Solanum furiosum (Camerar.), Lethale (Lobel, Dodon, Thalii), Solanum maniacum (multis), Solanum cosmeticum (Weimann, Hoffmann), Opsago (Gerard), Pulchra mulier (Tournef.). — Germanis vocatur: Waldnachtschatten, Schlafbeere, Tollbeere, Irrbeere, Walkenbaum, Tollkraut, Tollwurz, Tollkirsche, Teufelskirsche, Wolfskirsche, Marienkraut, Wuthbeere, Willbeere, Windbeere, Teufelsbeere, Saukraut, Scheintodt, Schöнемädchen, Schönefrau. —

Anglis: Dwale, deadly, raging, raging or fleeping Nigthouse. Gallis: Morelle marine, Belledame. Italis: Solatro maggiore, Belladonna. Hispanis: Yerva mora major. Belgis: Groote Nachtschaad oft Dulcruyt, Dulle Besien. Lusitanis: Erva mora. Bohemis: Lilek, Wetsy, Psy Wino. Polonis: Psinki, Moszenky, Psie Wisnie, Michonky. Hungaris: Zcpzolo. Danis: Natskade, Swine urz, Hunde urz.

Mirandum videatur, cur Italis et Hispanis verulentissimum hocce vegetabile Belladonna audiat, cum adeo letri sit odoris, ut ne bruta quidem praeter-euntia illud degustare soleant, sed cane pejus et angue fugiant. Scriptores tamen hanc asserunt causam, quod ex ejus succo vel aqua destillata fucum conficiant mulieres italicae, quo faciem oblinant, decorent, et ex rubicunda pallidam efficiant (1). Hanc ob rationem alii credunt, quod in somnis pulchras virgines feminasque ostendet (2). Apulejus vero contendit, hoc nomen ex Bellonaria corruptum esse. Nomen Lethale, somniferum, furiosum, maniacum a symptomatibus commemorandis certo accepit.

Est planta perennis europaea et crescit in umbris obscuris silvis, in montibus (non raro vero in hortis etiam culta), et quidem in Anglia, Austria,

(1) Raii histor. plant. Lond. 1686. fol. Cap. 23. p. 680.

(2) Theophr. histor. plant. illustr. a Bodaeo a Stendal. pag. 1078.

Pannonia, Dania, Gallia, Helvetia, Hollandia, Italia, Thuringia, Silesia (praecipue in monte Zobten et Eule), et floret mense Julio ac Augusto. *Atropa Belladonna*: caule herbaceo, foliis oblongis utrinque attenuatis, integerrimis, glabriusculus, pedunculis unifloris nutantibus.

Radix fusiformis, obliqua, crassa, ramosa, intus albida, cortice subfusco tecta. Caulis erectus, teres, trichotomus, altitudine trium quatuorve pedum. Rami dichotomi, extrorsum curvati. Folia sunt ovata, acuminata, breviter petiolata, in petiolum decurrentia, nervata, gemina, altero majore. Flores solitarii, axillares petiolati nutantes. Calyx monophyllus, quinquefidus, gibbosus, inferiori parte permanente laciniis ovatis, acutis. Corolla monopetala, campanulata, externe subvillosa, basi ferruginea, in tubum brevem attenuata, fauce quinquefida atropurpurea, laciniis patentibus. Stamina quinque subulata, basi corollae imposita, extrorsum curvata, corollam aequantia, basi barbata. Antherae subglobosae, biloculares. Germen rotundum acuminatum, sulcis duobus longitudinalibus oppositis notatum. Stilus filiformis, incurvatus, longitudine staminum. Stigma bilobum. Pericarpium depresso - subglobosum, baccam bilocularem atro - nitantem, calyce persistente obtectam sistit. Sporophorum duplicatum, carnosum, latere convexum, subreniforme. Semina numerosa reniformia. —

II. DE PRAECIPUIS QUAS CONTINET PARTIBUS.

Vauquelin (1), qui primus analysin hujus plantae accuratius instituit, simile principium acre, quod in *Nicotiana tabaco* invenerat, sine ullo tamen successu inquirebat. Brandes et Buchner autem analysin chemicam perfectam *Belladonnae* dederunt, et quamquam inter se distant, attamen vires praecipuas in *Atropio* tantum et *Pseudotoxino* sitas esse, demonstrarunt.

Succus foliorum expressus, filtratus et amylo liberatus colorem e profundo-fuscum, et amarum nauseosum saporem praebet. Calore et infuso aquoso gallarum albuminis causa spissari potest. Succus spissitudine extracti, nunc Spirit. vin. rectificatiss. tractatur; post evaporationem Sp. vin. rectific. principium, quod remanebat extractivum non purum erat, sed continebat satis Kali acetici, fortasse etiam Ammonii acetici, exiguum Kali muriatici copiam et Kali nitrici, quod apte removeri non potest, idemque Acidum aceticum librum. Hoc modo dictum principium extractivum, amarum et nauseosum saporem prae se fert, e solutione in Sp. vin. rectific. infuso gallarum aethereo satis praecipitatur, Kali caustico immixtum efficit odorem fragrantem nau-

(1) Trommsdorff. J. XIX. 2. pag. 119.

seosum, carbonibus candentibus immissum vapores ammoniacales exhalans tumescit. Destillatione sicca Ammonium, et Ol. empyreumaticum dat, magna carbonis copia relictæ, quæ alcalice et tanquam Acid. borussicum sapit. Quod Sp. vin. rectific. non susceperat, ut proprium sic dicti principii extractivi genus se præbebat, conjunctum Kali oxalico acid., sulphurico et muriatico. Quod principium, quum infuso gallarum satis præcipitetur, Vauquelin materiae animali - vegetabili comparat. Succus Belladonnae ergo substantiam in Sp. vin. rectific. solabilem continet, quæ principium efficax habenda est, materiam in Sp. vin. rectific. insolubilem animale vegetabilem, Acid. acet. librum et plura præterea salia cum kalica basi.

Brandes (1) herbam siccam primum c. aqua frigida prelo Rommershausii tunc frigida, et deinde fervida aqua extraxit. Postea aqua decocta tandem Acid. muriatico et Kali caustico tractabatur. Secundum hanc analysin(2) continent partes 2000 foliorum Belladonnae: Atropii malici cum acido prævalente 30,25; Kali oxalici 12,00; Kali malici et calcariae, Kali nitr. et muriatici vestigia, Kali oxalici et Atro-

(1) Schweigg. J. XXVIII. pag. 9. et Buchner. Repert. VIII. pag. 289. et IX. pag. 40. et Berl. Annal. XXIV. pag. 128.

(2) Preussische Pharmacopoe übersetzt und erläutert von Doulik. pag. 165.

pii malici 5,50; Magnesiae malicae cum vestigiis oxalici 5,00; Calcariae oxalicae cum Calcar. phosphorica et magnesia 104,75; Calcareae malicae 12,00; Kali nitrici 6,00; Kali muriatici 4,00; Kali sulph. 5,00; Pseudotoxini cum nonnullis jam dictis salibus 321,00; Phyteumacollae 138,00; albuminis 4,00; indurati albuminis 120,00; Chlorophylli 116,75; Cerae 11,00; Gummi 166,50; amyli cum Kali phosph. et oxalic. 25,0; fibrinae 274,0; humoris 510,0; damni 36,25. —

Brandes nominat principium extractivum sec. Vauquelin, quod multum nitrogenii continet, Pseudotoxinum, quod in aqua et Sp. vin. solubile, aqua fervida non coagulatur, infuso gallarum praecipitatur, et magnam ad bases salium metallicorum habet affinitatem.

Atropium, hoc, qui sequitur, modo praeparat Brandes: extractum aquosum foliorum siccatorum Acid. sulph. conjungit, ut albumen et aliae coagulabiles substantiae vegetabiles removeantur, tunc solutionem Kali praevalentis copiae adjicit, et hoc praecipitatum Atropii repetita solutione et remotione in acidis, Kali ope mandata. Tunc apparet in longis, splendidis, acuminatis pellucidis crystallis, partim in flocculis cerae similibus, aut in forma gelatinosa; in statu puro est albissimum, sine sapore, in aqua frigida insolubile, nec minus in frigido Spiritu vin. rectific., in fervida etiam multo minus quam Mor-

phium, etiam in aethere et Oleo therebinth. insolubile. In aestu Atropium deletur, nigricat et comburit, odorem empyreumaticum et carbonem relinquens. Quibus experimentis sine dubio in Atropio vis narcotica Belladonnae ponenda est.

Runge (1) decoctum foliorum aquosum Sacch. saturn. praecipitat, et postremo gas hydrogenii sulphurati removet, ad spissitudinem extracti evaporat, deinde vicesimam Sp. vin. partem admittit, quo magna copia materiae fuscae praecipitatur. Sp. vini tunc destillatur et remanentia denuo aethere et quadruplice Sp. vin. retif. tractantur, quo iterum materia fusca praecipitatur. Liquor denuo destillatur, et remanentia triginta partibus aquae attenuantur. Solutio clarum flavum colorem habet.

Peschier (2) dissolutione Extracti vinosi et aquosi c. Plumbo acetico oxydato alcaloidum invenit, quod in aqua et Sp. vin. solubile, magnam copiam liquoris attrahebat, tantum consistentiam mellis accipiebat, in qua forma crystallina apparebat. In hoc statu glabra erat, parvam tantum ad acida habebat affinitatem, conjungebatur cum his leni evaporatione et formabat salia crystallisabilia. Praeterea Peschier, dissoluto praecipitato, quod foliis Atropae decoctis salibus barytae efficiebatur, proprium flui-

(1) Neuste phytochemische Entdeckungen. pag. 120.

(2) Trommsdorff n. J. V. I. pag. 89.

dum valde acidum (Acid. atropicum) accepisse traditur.

Decoctum aquosum radicis tinct. gallarum satis praecipitatur, nec minus plumbo acetico, hydrargyro oxydulato et oxydato; color solutionum ferro minime mutatur. Cum autem effectus tutior fiat, si tantum principium Belladonnae praevalens in usum vocatur, praeparatio Alkaloidi autem multum constat nec raro etiam bene procedit; Buchner extracta, quae, quod ad effectum alkaloidis non sunt postponenda, eo parare proposuit, ut substantia vel aqua frigida extrahatur, extractum spiritu vini digeratur, et tinctura ad consistentiam extracti evaporetur, vel, ut substantia Spiritu vini extrahatur, extractum aqua frigida tractetur, et denuo evaporetur. Tali modo ex herba extractum praeparatum vim non tam vehementer exercebat, quam e radicibus praeparatum; efficacissimum autem e seminibus extractum praepar. esse videbatur, sed tamen satis irritans erat. Secundum Buchner semina plus quam radices Atropii continent. E seminibus hujus plantae in nonnullis regionibus oleum exprimitur, quod non solum sicuti Oleum lini in suppellectile, sed destillatum ad cibos adhibetur. Nec minus Indi et Aegyptii his foliis inter olera et cibos utuntur (1).

(1) Bontius de medicina Indorum in methodo medendi, Cap. 7.

Cujus olei clari, aureo - flavidi mite et sine odore fragrante; pondus spec. est in $+ 12^{\circ}$ R. 09,250; in atmosphaera sensim siccatur, in frigore riget, et in temperatura $- 22^{\circ}$ R. massam firmam e flavo-albescentem format.

III. DE EFFECTU.

Virulentam Belladonnae inesse vim omnia, quae de ea experti sunt peritissimi medici, manifestant. Teste Plinio (1) haec planta a Diocle et Evanore panegyrico decantata, a Timesto carmine celebrata, a Xenocrate malorum omnium medela vocitata fuit.

Quam venenosa et damnosa qualitate Belladonna gaudeat, et quantas hinc inde strages ediderit, satis superque sunt botanicorum libri testimonio. Manetti (2) experiri voluit, an baccae Belladonnae, in cuniculum ventriculi demissae, veneni excitarent symptomata, quale Linnaeus (3) de Coriolaria vulgari adnotavit, sed nullum observavit, nec succus baccarum dilutus, in jugularem injectus, veneni symptomata produxit, cum praeter stuporem et lenioris corporis subsultus, non horae spatium perdurantes, nil aliud procrearet. Succus baccarum num. XX. Belladonnae per vim in catuli ventriculum dimissus,

(1) Plinius histor. nat. l. 21. c. 31.

(2) Manetti, Viridor. Florent. 1751. 3. pag. 21.

(3) Linn. in hort. Upsal. pag. 299.

ventriculi convulsionem, singultum vehementem, semi-horae spatium durantem, nullum tamen vomitum progenuit. Ipse quoque, ubi felis ventriculo immisi baccas triginta contusas, pupillam valde dilatari, et vehementem vomitum, convulsiones et omnia jam nominata oriri vidi phaenomena. In canis ventriculum allatas baccas plane nullum venenosum habuisse effectum Rossi(1) testatur. Buchananus(2) exponit, quo pacto hujus plantae succo panem, vinum et cerevisiam Scoti infecerint, unde Danos, hostes suos, in quorum castra isti potus damnosi dolo pervenerint, ita dementarint et in somnum induxerint, ut eorum ducem Suenonem cum toto exercitu delere possent. — Si vino immixta sumitur radix, somnum provocat (3); sensus stupidos reddit, vertiginem, soporem et visionem erraneam efficit. Virium languorem inde proficisci, Sicelius (4), et calorem urentem oculorum Wepferus allegavit, oculis licet apertissimis, clarissimis, planeque splendentibus, coecutiebat penitus Fabri (5), alii lacrimabant, in aliis erat faciei rubor et tumor (6). Spasnum

(1) Rossi de plant. quae venenatis habentur. Florent. 1762. 4.

(2) Buchananus histor. Scotie, Erf. 1584. 8. pg. 199.

(3) Matthioli comment. Diosc. c. 99.

(4) Sicelius Diutr. botan. med.

(5) Fabri Strychnom. Obs. 1.

(6) Albrecht Commore, Litt. Nov. 1731. pag. 332.

eynicum videbat Gmelinus. Tristissima comprobantur experimenta, Belladonnae fructus non in primis viis solum effectus prodere venenatos, sed etiam organis vitalibus summopere esse contrarios, secundum ea, quae observabant clarissimi viri. Alii conqueruntur de angustiis pectoris; alii de respiratione violenta, parva, crebra, anxia; anhelitu difficili cum suffocationibus frequentibus alii quasi mortui nullum trahebant spiritum. De viribus baccarum Faber(1) casum narrat: Balneator curiositatis gratia baccam ore compressam degustabat, cui mox vesicula in palato excitabatur, qua linteolo rupto, humor emanabat flavus, dulcis, ac ejusdem plane qui est baccis, saporis, sine dolore tamen aliove incommodo. — Post varios infortunatos casus, Erlangae, jussu magistratus, nonnulli frutices Belladonnae, baccis maturis ornati, in foro publico suspensi fuerunt, ut insciis civibus loco admonitionis essent.

Unus autem effectus, qui nonnullis tantum narcoticorum proprius est, praecipue in Belladonna excellit: magna vis, quam in organon visus exercet, vel oculo ipsi vel ventriculo immissa; pupilla enim multum se dilatat, magis quam pro naturali statu evadit, ut ad iridis circulum accedat, et interdum totum visum impediat (2), interdum tamen vident

(1) Fabri Strychnom. Obs. 13.

(2) Jonstoni Med. pract. Amstelod. 1652. 8. pag. 438.

verum obscure, et quae videntur ab iis, omnia minora putantur. Fit haec affectio vi Belladonnae in nervos ciliares, quae iridem et chorioideam ad majorem contractionem impellit (1). Non omittendum esse puto demonstrare, hanc plantam non esse unicam, qua visus debilitas, caligos, immo coecitas provocari possit, sed, ut jam dictum, etiam ab aliis vegetabilibus tale phaenomenon, tam abusu interno, quam externo, observatum est: sic similem fere noxam imprudenti applicatione Opii, Mandragorae, Hyoscyami, ad oculorum gravissimos dolores sopiendos, se observasse saepius testatur Galenus (2); succo Euphorbiae edulae, coecitatem, Cicuta caliginem oculorum, Aegineta; debilitatem visus succo Mandragorae, Sennertius (3); semine Daturae Stromeyer (4); Aconito, Conio maculato, Solano vulgari, Anemone pulsatilla, Gmelinus (5), alique observaverunt, et Digitali ipse similia phaenomena vidi provocata. At non solum pupillam dilatat Belladonna, sed etiam ad alia corporis orificia magnam vim, ut Zollikofer observavit, exercet.

(1) Vogt's Pharmacodynam.

(2) Galeni Method. medendi. C. 2.

(3) Sennertii opera, Tom. V. Lugd. 1676. Fol. Cap. X. pag. 547.

(4) Stromeyer. Diss. de plant. solan. Goetting. 1772. pag. 19.

(5) Gmelin von den wichtigen Gewächsen.

Sicuti omnium narcoticorum effectus, etiam Belladonnae in propria sensibilitatis affectione systematis nervei positus est, et modo magis cerebri, modo medullae spinalis et nervorum gangliorum. Hic effectus praesertim exaltata mutatione vitalitatis systematis nervei elucet, in cerebro ebrietati aut delirio similis, in medulla spinali aut systemate ganglioso affectione spastica, quae ocius serius in statum paralyticum transit. Quomodo narcotica ad corpus se habeant, usque ad hoc tempus nondum satis demonstratum est, sed certe magnam vim in sanguinis crasin exercent, et efficiunt morbosam exaltatam venositatem, unde status sanguinis resolutus oriri potest (1). Effectus primarius narcoticorum sine dubio in systemate nervorum inquirendus est, quod phaenomena primaria effectus narcoticorum tantum in systemate nervoso inveniuntur, omnes vero in eo conveniunt: actiones vitales systematis nervei in aliqua parte debilitari aut supprimi. Varii gradus narcoticorum effectus non solum in virtute, sed etiam in locali qualitate excellunt. In gradu inferiori effectus narcoticorum plerumque ad systema nervorum periphericum pertinet. Gradus secundus jam fortior vitales actiones mutat, ita ut earum concordia tollatur, et phaenomena morbosa evocentur; et in hoc

(1) Sundelin's Handbuch der speciellen Heilmittel-lehre. Berlin 1827, Bd. 1. pag. 165.

gradu secutionem phaenomenorum quandam videmus: primum enim systema nerveum afficitur, tum vita irritabilitatis denique aucta secretio intrat. Gradus tertius est veneficium.

Sicuti in generali narcotica in tres effectuum gradus dividi possunt, sic etiam Belladonnae tres gradus ejus ponere possumus.

In primo gradu effectus videmus sanguinis circulationem acceleratam, congestiones ad caput et abdomen, praesertim vero ad corporis partes externas: facies enim et aliae partes rubescunt et calidiores evadunt. Primarius effectus sine dubio systema nerveum incitat, sed celeriter et rapide in systema vasorum sanguiferorum transfertur, quapropter etiam nonnulli effectum primarium in irritabilitate false inquirebant. Ingeniosus Vogt (1) dicit, in toto systemate nervorum dinamico modo id procreari, quod vis mechanica in singulis locis efficiat. In irritabilitate haec phaenomena clare et destincte elucet, quia haec in vita fortius ad reactiones inclinant; sed status febrilis inde evocatus non inflammatorius purus est, multo magis typhosus, una cum inclinatione ad destructionem, cui tunc putrescentia elucet. Vita vegetativa etiam Belladonna vehementer afficitur, sed in phaenomenis haec reactio tunc apparet, si variae copiosae secretiones et excretiones cutis,

(1) Vogt l. c. pag. 136.

organorum uropoëticorum, membranae mucosae oris et faucium intrant. Sin e contrario Belladonna destructionem metamorphosis organicae efficit, putrescentia consequitur. Praesertim cerebrum afficit et sic organa sensorii, multo vero minus aliarum partium corporis systema nerveum. Facile etiam nervos ciliares afficit, et ut Hyoscyamus niger, iridis et chorioideae contractionem evocat. Mutationes, quas in vegetatione excitat, sunt positae in reactione totius reproductionis. Sine dubio error est, si a nonnullis principium acre ad ceteros nervos et systema gangliosum praesertim agens, aestimatur. Excellens autem est effectus narcosis, qua ratione Acido borussico respondet.

In secundo gradu omnia phaenomena multo vehementiora sunt, praecipue organon visus et deglutitionis afficitur; primum contractionem in oesophago una cum spastica contractione ventriculi, non raro etiam ructus, nausea, vomitatio, stridor dentium, mania, trismus, subsultus tendinum, sitis minime abest, immo saepe vehementissima, tunc organon visus afficitur, obnebulatio, visio erronea, pupilla saepe ita se dilatat, ut usque ad iridem se extendat, tinnitus et susurrus aurium, dysoecia, surditas, palpebrae dilabuntur et somnolentia accedit. Caput grave, vertigo, ebrietas et alia signa fortioris affectionis, quae in delirium, soporem, alienationem mentis et maniam transeunt. Haec series phaenomeno-

rum fere semper feбри conjuncta est. Si jam phaenomena per multas horas duraverunt (per 7 — 20 hor.), ut in primo gradu, secretiones intrans, sed multo copiosiores, in cute ardor et pruritus cum maculis scarlatinae simillimis aut cum pustulis, in bronchiis mucus, in vesica urinaria urina, in ore et faucibus saliva augetur.

In gradu tertio effectus soporosis, spasticis et paralyticis phaenomenis paralysis et solutio intrat. In epidermide maculae caeruleae oriuntur, pulsus irregularis et minor fit, ex ore, ano et aliis corporis orificiis sanguis foetidus et fusco-caeruleus profluit.

Aptum nunc mihi videtur, nonnulla adjicere, quae in cadaveribus Belladonna deletis observata, quidam celeberrimi viri memoriae tradiderunt. Mappius (1) videbat virum, qui ab assumtis libris duabus vini albi, succo Belladonnae, ad calorem rubrum conciliandum, infucati, subito mortuus erat, gangraena succedente universali per totum corpus, quod brevi totum nigredine affectum fuit, et ita flaccidum redditum, ut cuticula chirurgi manibus adhaereret, cum illud, jussu magistratus, sectioni subjicere, et morbi causam inquirere conaretur. Cadaver praebuit superficiem ex nigredine caerulescentem, exustiones subito

(1) Davies Dissert. de Bellad. Atrop. Lips. 1776.

in putredinem abeuntes, inde foetorem intolerabilem, ut hora a morte duodecima nemo sectioni adesse cuperet; Gmelinus describit in ejusdem cadaveris facie, pectore, abdomine, dorso et artubus pustulas latas, coeruleascentes. Wagnerus (1) observavit totum corpus paulo post mortem incredibile tumens, ex ore, naribus et oculis sanguinem spumosum effluentem, et cultros anatomicos arrodentem; dissectione facta apparuerunt ventriculus, intestina, mesenterium, hepar, pulmones, inflammata. Puellam quinquennem dissecuit Goekelius (2), cujus abdomen tumens, et intestina flatibus distenta, sed neque inflammata, neque laesa, ventriculus vero cum duodeno inflammatione correptus erat. Splen, renes, vesica fellea et urinaria, itemque oesophagus, nulla prae se tulere inflammationis vestigia. Splenem putrilaginosum vidit Gmelinus, itemque cerebrum. Ventriculum et intestina inflammata, vasa omenti et hepatis praetumida observavit Hallerus (3).

IV. DE USU SALUTARI.

Quamvis tot et tam vehementes in homines

(1) Ephem. Germ. dec. 2. a. 10, Obs. 108.

(2) Fränk. Samml. T, III. p. 44.

(3) Haller. histor. stirp. Helvet. T. III. Bern. Fol. p. 185.

jam ediderit strages Belladonnae abusus, tamen inter gravissima medicorum auxilia adnumeranda est; interne enim et externe laboranti corpori ex hoc medicamine unica saepe salus expectanda. Semper est prudentis medici, in applicatione remediorum, cum ratione potius timide, quam cum suo et aegrotorum periculo nimis celeriter progredi, licet in rationalis medici manu nullum dari venenum, Stoerkius sibi persuasum habebat. Medicis antiquissimorum temporum usus Belladonnae alienus erat; Tragus (1) primus Belladonna utebatur, et iis, qui post illum in usum trahebant, erat medicamentum resolvens, discutiens, antispasmodicum et narcoticum.

Fere in chronicis tantum morbis, qui asthenica praediti ratione, valde peraucta provocati sunt sensibilitate, adhibetur; cum autem in Belladonna una cum vi narcotica etiam resolvens insit vis, remedium quoque summa dignitate contra abnormitates e. g. indurationes et scirrhusitates organorum gravissimorum, quae ut alienus stimulus quasi mechanico modo sensibilitatem irritant, et in se ipsis materiam ferunt perniciosam. In morbis systematis nervei, in quibus debilitas et atonia praevalent, nec minus in spasticis contractionibus fibrarum sphincterum, in abnorme exaltata receptivitate usus ejus valde proba-

(1) Wendt's Mater. medica. Breslau. 1830. pag. 231 §. 311.

tus. Ubi magna et universalis reactio irritabilitatis partim ad vitam sensibilem, partim ad vegetativam excitari debet, Belladonna indicata est.

1) Morbi spasmodici.

In Epilepsia praecipue magna est utilitate, si hujus morbi abnorme exaltata sensibilitas causam fert, nec minus vero, si impedimenta in abdomine adsunt. Liceat mihi hic nonnulla a peritissimis medicis de usu hujus plantae in ejusmodi morbis observata enumerare. Greding (1), qui tribus et viginti epilepticis, simulque ex parte furibundis eam dedit, sublevamenti aliquid, sed sanationem sequi non videbat. Theden (2), Stoll (3), Hufeland (4) meliores se observasse referunt eventus in his morbis, et Hufeland, ubi nervorum resolutio praeterea adsit, praesertim cum tonicis conjunctam commendat Belladonnam. Dedit initio per viginti quatuor horas granum unum, quam dosin sensim sensimque quinque ad sex grana auxit. Stark quoque multis antiepilepticis praefert remediis. Loeben-

(1) Greding's vermischte Schriften. Bd. 1. p. 114.

(2) Theden's neue Erfahrungen. Bd. 2. p. 212.

(3) Stoll ration. med. Vol. III. p. 406.

(4) Hufeland's Journ. Bd. 9. St. 3. p. 109.

stein-Loebel (1), solam Belladonnā in epilepsia sine eventu esse contendit, eo felicius tamen adhiberi Castoreo et Cupro ammoniato-muriatico conjunctam. Lenhossek (2) iis, quae de ejus ad vegetativae vitae nervos efficacia est expertus, nitens, valde probabilem eam commendat in hysteriis plane dynamicis et hypochondria. In ejusmodi vero casibus eo cautius adhibenda, quo magis systematis nervorum aucta est receptivitas, ut ipse suadet Lenhossek, qui a duodecima tantum aut octava grani parte incipiens paullatim doses auxit. Voigtel (3) Asa foetida admixta se jam inveteratae medicamentum esse gloriatur hypochondriae. Contra dolorem faciei Fothergilli interdum etiam adhibita, quamquam multi in hoc morbo usum non probant. Ipse etiam, casu ad puellam hoc dolore laborantem vocatus, ubi solutionem extracti Opio commixtam illivi, remissionem perfectam doloris diuturnam me observasse reminiscor; nam post nonnullos dies redibat, et denuo hoc medicamento applicato dolores fugiebant, et adhuc nunc, si redeunt, summa cum utilitate hoc remedi-

(1) Loebenstein-Loebel. Wesen und Heilung der Epilepsie. p. 277.

(2) Lenhossek, p. 407.

(3) Voigtel's Arzneimittellehre. Band 2. Abtheil. 2. p. 240.

um in usum aegrota vocat. Herber (1) radicis belladonnae unum primo, tunc sex grana hora matutina et vespere dans, vehementissimum oppressit faciei dolorem. Boiley (2) complura refert de optimo in dolore faciei et aliis capitis doloribus Belladonnae usu. Stangenhagen (3) mulieri hystericæ dolore faciei laboranti continuo Belladonnae mite solventibus conjunctae usu, doses augens medicatus est. Siebold (4) contra dolorem faciei pulverem ex Belladonnae gr. V. Rhei gr. jii Sachar. ℞ secundo quoque vespere sumendum recommendat. Plackel (5) haud sine bono eventu eam spasmodica recti structura pressis dedit. Huc quoque referenda, quam recentiores proposuerunt, applicatio Belladonnae, si spastica colli uteri rigiditate partus gravissimus est redditus. Chaussier (6), ubi uteri orificii

(1) Herber in Hufeland's Journal. Band 36. Stück 6. p. 82.

(2) Boiley observ. relative to the use of Belladonna, in painful disorders of the head and face. Lond. 1818.

(3) Rust's Magazin. Bd. 18. p. 158.

(4) Doloris faciei, morbi rarioris atque atrocis, observationib. illustrat. adumbratio. Wirc. 1795.

(5) Plackel the Lond. med. Rep. Nr. 126. Juni 1824. art. 9.

(6) Considerations sur les convulsions, qui attaquent les femmes enceintes. Paris 1823, übersetzt in der Sammlung auserlesener Abhandl. z. Gebrauch für prakt. Aerzte. Bd. 31. p. 30.

et ipsarum externarum partium naturalium aderat durities, conjuncta praesertim parturientium eclampsia, infricandum dedit ex Belladonnae extracti $\mathfrak{z}\text{ij}$ Cerati $\mathfrak{z}\text{j}$ unguentum, et quindecim annos hoc remedio optimum se expertum esse contendit eventum, post triginta aut quadraginta enim momenta semper uteri aperiri orificium.

Mandt (1) feliciter et celeriter partum se provocasse nuntiat mulieris vehementissimis et spasticis doloribus vexatae, extracti Belladonnae gr. xjj et Ungt. rosar. $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ in uteri orificium infricandis datis. Henne (2) feliciter adhibuit in tardam orificii apertionem, quae primiparis saepissime esse solet, radicis Belladonnae gr. quartam partem, una cum infractionibus unguenti ex Belladonnae extracto parati. Clysmata ex infuso Belladonnae non inutilia erant contra spasticam incarceratam herniam eique conjunctum ileum (3). Jam Selle et Greding contra plures spasticos morbos utilitate permagna dedisse voluerunt, et Selle curationem aphoniae, quae erat secuta apoplexiam, Belladonnae tribuit. Temporibus recentioribus Paulus Belladonnam cum vi-

(1) Rust's Magazin, Bd. 19. p. 350.

(2) Rust's Repert. Bd. 14. p. 137.

(3) Hufeland's Journ. Bd. 17. St. 1. p. 195 u. B. 311 St. 1. p. 138.

no contra constrictiones pharyngis, ortae ex veneno, quod in farcinibus nuperrime est detectum.

2) Paralyse.

In has ob longitudinem fibrarum contractiones, quas excitat, Belladonna memorabilis, hanc enim ob causam in extensorum paralyse forsitan aliquid valeat, et plus justo in ea neglecta videtur. Jahn (1) eam prae ceteris commendat, immo etiam aegros non servari posse contendit, si illa non melior provocatur status, magna quidem curatione contra paralyse e cerebro originem trahentes, aut post apoplexias remanentes adhibenda est. Schmucker (2) hemiplegiam, Selle vocis inopiam, apoplexia exortam, Forsten, Verscheier (3) musculorum faciei spasticam paralyse illa oppressit.

3) Pectoris morbi.

Boerhaave (4) et post eum Schaeffer (5) contra tussim convulsivam valde recommendant, et

(1) Klinik d. chron. Krankh. Bd. 1. p. 365.

(2) Vermischte Schriften. Bd. 1. p. 79.

(3) Gerson u. Julius Journ. d. ausländ. mediz. Litt. Bd. 6. St. 1. p. 57.

(4) Sammlung auserles. Abhandl. z. Gebrauch f. prakt. Aerzte. Bd. 14. p. 614.

(5) Hufeland's Journ. Bd. 6. S. 458.

quidem in stadio tertio, ubi ergo nulla activa inflammatio in tunicis bronchiorum internis adest; at tamen percaute hunc in morbum adhibenda, ne cerebrum, quod facillime fieri potest, afficiatur. Hufeland (1) et Jahn (2) cerebro periculosos observarunt hoc remedio provocatos casus et Kopp post haud maximas doses interdum hydrophobiam, deliria, exanthema scarlatinae simillimum, contra tamen et optimum observavit eventum. Richter (3) infus. rad. bellad. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$ ad Collat. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}\mathfrak{j}\mathfrak{j}$ matutino et vespere dato cochleari majore quidem narcosin oriri, tamen evanescere vidit tussim. Piper (4) summa cum ulilitate Extr. bellad. gr. $\mathfrak{j}\mathfrak{ss}$ infantibus, dimidium annum agentibus, in regionem gastricam saliva mixtam pluries per diem infricuit, in magis proVectis auctam dosin. Et alios quoque pectoris affectus repelli possunt Belladonna. Lenhossek (5) spasticae aduItorum tussi, tussi convulsivae simili, ea medicatus est, neque minus bonum procreavit eventum in enormam cum sicca tussi comitatam pulmonum irritabilitatem, prae ceteris vero in asthma spasmodi-

(1) Hufeland's Bemerkungen über Blattern. p. 445.

(2) Jahn's Kinderkrankheiten. p. 409.

(3) Richter's ausführliche Arzneimittellehre. Band 2. p. 572.

(4) Harless neue Jahrbücher, Band 10, St. 2. p. 137.

(5) Lenhossek l. c. p. 393.

cum. Sic ipse pluries in phthisi pulmonum, ut tussim aegroti valde vexantem lenirem, pro dosi gr. β ad gr. $j\beta$ radicis magna cum utilitate dabam.

4) Oculorum morbi.

Omnium maximam Belladonna exercet in oculos efficaciam, immo, quod ad pupillae pertinet dilatationem, etiam Hyoscyamum superat. Antea quam operatio instituitur cataractae, et ipsa, ut Hyoscyamo pupilla major reddatur, et ante capsulae puncturam ad iridem tuendam lentemque magis in lucem provocandam adhibetur. P a g e t (1) hunc ad finem primus eam in usum vocasse videtur. Jam folio contuso oculis imposito valde dilatatur pupilla, et Extr. bellad. instillationes bene proficiunt in pupillae contractionibus aut coarctationibus. Multifarie contra oculorum inflammationes commendata. Wainwright (2) in acutis ophthalmiis, ut quoque externa vi exortae sint, optimum Extracto Belladonnae fieri eventum contendit; bis maculas corneae magnae inflammationi conjunctas, Extracto bellad. sub palpebras illato repulit, in scrophulosis et venereis ophthalmiis nihil effecit, contra iritidem vero, cui pupillae contractio conjuncta est, utilissima videtur.

(1) Med. and. phys. Journ. Oct. 1801. p. 352.

(2) Phys. and. med. Journ. Oct. 1801. p. 757.

Praeterea contra palpebrarum, bulbi spasmos, photophobiam, varias blennorrhoeas et exulcerationes in ipso oculo et in externa oculi superficie. Nisi nimia est oculi irritabilitas, Belladonna ipsa conjunctivae immittitur, e contrario vero fomentationes aut unctiones ex illa instituuntur. Hac ratione de Graefe(1) in vehementi et dolorosa oculorum blennorrhoea infus. folior. duarum Dr. ad Colat Unc. septem cum compressis calide oculis imponendum, in blepharospasmo, photophobia et dolorosis inflammationibus \mathfrak{B} Extr. bellad. totidemque Opii cum saliva circa oculum infricandum commendat. Quinque rad. Belladonnae favis pollicem longis nuchae impositis, videndi facultas valde melior reddita (2). In amblyopia etiam et amaurosi celebratur. Interne praesertim adhibenda, partim in simul exaltata sensibilitate, ideoque in cataracta, si adsunt oculorum dolores, pupillae contractiones, et lucis partim in morbis vegetativis oculi, ideoque in metastatica, arthritico - rheumatica amaurosi (3). Externe de Graefe in emplastri forma circa oculum imponit; quotidie per nonnullas horas, secundum in pupillam

(1) Repert. augenärztl. Heilf. p. 52.

(2) Medizinisch - chirurgische Zeitschrift 1813. Nr. 87. p. 145.

(3) Richter's Anfangsg. d. Wundarzneikunde, Bd. 3. p. 454.

et retinae sensibilitatem efficaciam, imponendum curat. Tamen nimis cautus Belladonnae in amaurosini usus, praesertim si aucta est sensibilitas, contrarium plane, longe magis timendum torporis statum, et totam videndi facultatis adducere potest oppressionem.

5) Scarlatina.

Hufeland (1), omnia, quae hoc in morbo Belladonnae usum probare et repudiare videntur, bene scrutatus, haec se expertum esse profitetur. In plurimis casibus, Belladonna sumpta, scarlatina non secuta; epidemiis exortis saepe ampliorem ejus impendebat progressum. Si vero morbus prodiret, tamen mitis et minime perniosa erat, ideoque Belladonna quominus certe quodam rerum statu ad scarlatinam arcendam adhibeatur, nihil obstat. Alii medici tamen hunc ad finem eam adhibere nolunt (2). — Hahnemann doses, ut constat, homoeopathicas defendere studebat (3), et Schenk et Berndt in hanc laudem consentiunt. Auctore Hufeland Extr. Bellad. gr. iij. in aquae ℥j cum spiritus aliqua parte mixtae solutorum, quotidie tot

(1) Journ. Bd. 56. St. 4. pag. 17.

(2) Joerg Handbuch der Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten. pag. 957.

(3) Hufeland's Journ. Bd. 13. St. 2. pag. 152.

guttæ, quot annos aeger agat, dandæ, idque tam diu, quam contagii adsit opportunitas. Ob inaequalem hujus præparati vim, nonnulli tamen haud injuste radicis præferunt pulverem.

6) Indurationes.

Usus autem permagnus fert Belladonna in indurationibus, præsertim in glandularum atonicissimis tumoribus, qui ex metastasi orti erant, contra Scirrhum et Carcinoma in mammis, utero, ventriculo et intestino, in lingua et testibus sæpissime maximam utilitatem adhibenda est. Quamvis vero Cancer nulli fere cedat medicamento, nisi ferro et solano, secundum placita veterum, tamen Timmermannus asserit Belladonnam interne adversus Cancrum, præsertim occultum, sub forma arcani adhibitam fuisse. Junkerus (1) quoque periculum fecit, opposuit occulto et apertissimo durissimo ferendo, et bene sub manu successit negotium cum Belladonna, in quo malo specifico, quamquam non semper aut innoxio aut felici eventu dicta fuit. Tumorem carcinomaticus in mamma ichorem et e fungo crescente sanguinem emisit; sed fomentationes cum decocto Belladonnae carnem fungosam compescebat,

(1) Conspect. therap. gener. 1725. pag. 491.

suppuratio accedebat et aegra convaluit. Pustulas linguae, inepta curatione mutatas in ulcera sulcata, vere cancro, induratis marginibus, Junkerus decocto Belladonnae ex voto sanavit; nam crustae callosae partim abscesserunt, partim resolutae sunt. Nodos dolorosos post puerperium et neglectam lactationem ortos, usus pulveris ex granis duobus et granis decem sacchari per plures menses continuatus, secuta suppuratione et novo lactis affluxu, tollit, teste Lentin (1). Autenrieth (2) decocto radice externe fomentationes instituit bono eventu in scrophulosin, articulorum tumorem album, praesertim genu malleolorum, ulnae et coxarum. Frank (3) Belladonna et mercurio usque ad salivationem in usum vocatis, condylos tactu magnum excitantes dolorem, quos in metrorrhagiis saepe circa uteri praesertim posteriora observavit labia, discutiebat, et metrorrhagiam ipsam saepe repellebat.

7) Hydrophobia.

Jam Meyerne hunc ad morbum sanandum in vinoso dedit infuso, neque multo post, Hannoviae

(1) Lentin's Beobachtungen einiger Krankheiten. p. 90.

(2) Tübinger Blätter für Naturw. u. Arzneik. Bd. 2. 1816. p. 172.

(3) v. Graefe und Walter's Journ. für Chirurg. u. Augenheilk. 1822. Heft 4.

metallarius radicem arcano in usum sumsit, quod A. MDCCLXVIII divulgabatur. Tamen in omnibus his casibus vis ejus arcens valde dubia. Animal, quod vulnerabat, forsitan non laborabat rabie canina, hydrophobia sine illa exorta sit, aut eodem tempore instituta localis curatio maximum valuit. Et profecto in multis casibus plane non tuentem se praebuit (1); in quibus vero forsitan nimis parvae doses neque aptae adhibitae. Raro enim, et secundum gradus effectum excitans detur, ipse eventus in lector expectetur, et toties quam tensio et dolor in vulneribus observatur, repetim adhibeatur necesse est. Münchii (2), qui in centum septuaginta sex casibus rabiem caninam arcebat, agendi rationem sequuntur medici. Münch (3), Buchholz (4), Stark (5), Jahn (6) Belladonna jam exortae se medicatos esse

(1) Stark in Loder's Journ. für Chirurgie. Band 22 St. 1.

Moench's Arzneimittellehre. p. 340. und Just. in Hufel. Journ. Bd. 16. St. 4. p. 90.

(2) Münch von der Bellad. Gött. 1783. u. dessen Beobacht. über Bellad. Stendal 1789 — 95.

(3) ibid.

(4) Buchholz heils. Wirk. d. Bellad. gegen die Hundswuth.

(5) Stark's Handb. Bd. 2. p. 32.

(6) Jahn's chronische Krankheiten. Bd. 1. p. 378.

rabiei caninae profitentur. Saater (1) duobus et ipse Brera (2) quatuor in casibus Belladonnâ optime adhibuere. Plerumque tamen hujus remedii ne maximae quidem doses in hydrophobiam aliquid valere. Quo magis sensibilem hydrophobiam habet formam, quo parvior et spasticus est pulsus, quo majora, si congestiones non adsunt, demissio animi, convulsiones aliaque nervorum phaenomena rabiei paroxysmi periodici, immo intermissionis aliquid praebent, eo magis Belladonna forsân adhibenda. Tamen a falso observatis cavendum. Si nempe hoc remedium prophylactici loco adhibetur, excitat saepe paroxysmos incipienti hydrophobiae similes, qui tamen his non sunt confundendi. Nam facillime ex abusu hujus plantae hydrophobia spontanea oriri potest (3).

Contra arthritidem et rheumatalgiam chronicam infusum radicis cum cerevisia adhibuerunt Matthiol, Smetius, Gmelinus. Ad fluxiones sistendas et dysenteriam curandam laudat Gesnerus. In in-

(1) Sauter in Hufeland's Journ. Band 11. Stück 1. p. 111.

(2) Klinischer Commentar über die Behandlung der Wasserscheu aus d. Ital. von Meyer. Brandb. 1822.

(3) Wendt's Materia medica. Breslau 1830. p. 232.

fartibus, obstructionibus et circulatione sanguinis segni in abdomine, in physconiiis hepatis, lienis, pancreatis, glandularum mesenterii, et in morbis qui ex his originem ducunt, magna cum utilitate una cum amaris, resolventibus ferulaceis datur. Immo in dyscrasiis inveteratis venereis etiam data est. Belladonna in clysmatibus applicatam contra hernias incarceratas laudat Vogt (1).

Nec minus contra febrem quartanam, quae tam saepe nulli remedio cedit, Belladonna c. China recentioribus temporibus feliciter est adhibita.

V. DE DOSI, RATIONE ADHIBENDI ET PRAEPARATIS.

Doses et adhibendi ratio ad diversos casus instituenda; minus efficacia folia, dosibus fere dimidio bene majoribus, quam radix dari possunt. Ob longam eorum efficaciam semel bisve quotidie dantur. In infantibus a sexta, quarta, secunda grani parte, in adultis ab unc. vel duobus incipiens grans pergitur, donec (leniorum graduum intoxicationis initium) scintillationes ante oculos, sitis, siccitas in ore intrans. In vegetativae sphaerae morbis, parvae doses diu saepe dantur. Infusum quoque infantibus praesertim

(1) Vogt's Pharmacodynamic.

salubre; infusi radicis ℥j cum aqua fervida, quartam horae partem conclusis vasibus digesti, colaturae sex vel octo unciarum cochlear porrigitur; eandem fere quam dimidium aut unum granum habet efficaciam. Conjunctiones salium metallicorum, quae facile dissolvuntur, et remediorum adstringentium non probandae, quod extractiva, quae in Belladonna inest, materia dissolvitur. Ad clysmata non plus scrupulo foliorum infuso facto, adhiberi, neque minus saepe repeti debent. Externe siccata folia ad empasmata, viridia ad applicandum, et ex duobus cataplasmata; infusum aut decoctum fere una ad viginti aquae partes, ad vomendum et ad emittendum, adhibetur.

Extractum Belladonnae, quod ut alia narcoticorum extracta, inspissatione succi foliis expressi praeparatur, ex viridi-fuscum amarum, odorans, partim dissolutioni subjectum, partim, secundum majorem aut minorem in evaporatione adhibitam curam, majore est efficacia. Tamen non tam efficax, quam radix et folia, quam ob causam majores in usum vocari possunt doses. Externe ut emplastrum in oculorum morbis praesertim adhibetur ad pupillam dilatandam.

Tinctura digestionem ℥ij dissectorum foliorum cum octo rectificati spiritus unciis et ℥iv aq. in leni calore parata, in pharmacopoeis quidem non reperitur, tamen bonum et diu servandum videtur medicamentum, quod adultis in decem ad viginti guttas

dari potest. In Anglia medici saepe ea uti dicuntur. Oxymel Bellad. a veteribus ad Oxymel scillae rationem paratum, infantibus contra tussim convulsivam praesertim dabatur, nunc vero est absoletum, neque injuste.

Empl. Bellad., quod in pharmacopoeis antiquioribus, praesertim in Edinburgensi, in nostris vero nondum legitur, ad discutiendas mammarum indurationes, lactis nodos, in oculorum morbis, si ipsa Belladonna in eos immitti non potest, adhibetur; praeterea aliis quoque emplastris mixtum datur.

VI. CONTRAINDICATIONES.

Vere inflammatorius status, plethora, sanguinis orgasmus, ad caput congestiones, cruditates, magna cerebri praesertim debilitas, forsitan quoque scorbutica dyscrasia et ad haemorrhagias opportunitates, Belladonnam plane repudiant.

Macidae et debiles constitutiones eam optime ferunt.

VII. DE REMEDIIS, QUAE BELLADONNA INTOXICATIONE FACTA ADHIBENDA SUNT.

Si Belladonna accidit veneficium, quam celerissime emetica, Acida vegetabilia, praesertim Acetum interne et externe in clysmatibus, immo etiam in pediluviiis, imprimis si impedita est deglutitio, Naph-

tae aceti, Ammonium volatile, lactis magna copia, Coffea, qua optime vomitus continuatur, adhibenda.

Autenrieth (1) sumenda suadet post multas excretiones, parvas Opii doses, circa unum vel duo guttas Tincturae Opii crocat., Camphoram, in lethargiam vinum, in capitis dolorem, et si pupilla est dilatata, Pulsatillam nigricantem. Volatilibus crebrius, quam in aliis narcoticis intoxicationibus venaesectiones antecedant necesse est. Methodus, quam Runge sequitur, veneficia Belladonna aliisve narcoticis exorta detegendi in cadaveribus Koromagine ab ipso nominata vi, quae ei inest, nititur, si oculo immittitur, pupillae dilatandae. Ex materiis, quae in intestinali tubo reperiuntur, ambiguis, secundum chemiae praecepta narcoticum separandum.

(1) Sammlung medic. Dissert. von Tübingen St. 3. p. 1.

VITAE CURRICULUM.

Carolus Fridericus Henricus Deininger, fidei evangelicae addictus, natus sum Lignitii, Silesiae oppido A. MDCCCVIII die mensis Novembris XXII. patre Friderico Deininger, Chirurgo urbano apud Lignicenses, et matre Beata Renner, quos adhuc salvos intimo animo veneror. Primis literarum rudimentis imbutus, puer novem annorum scholam privatam frequentavi, et annis duobus praeterlapsis Gymnasium Lignicense, quod tunc florebat duce Rectore Ill. Professore Werdermann, petii.

Autumno anni MDCCCXXVIII Vratislaviam
me contuli et numero discipulorum scholae me-
dico - chirurgicae ab Illustriss. W e n d t adscrip-
tus, per annum unum praeceptorum Illustrium
interfui praelectionibus.

Die XXX Octobris a. MDCCCXXIX Illu-
strissimus Steffens fascias academicas tunc te-
nens, civibus Universitatis litt. Vratislaviensis me
adnumeravit. Ill. Treviranus t. t. Decanus
in numerum medicinae studiosorum me recepit,
et per duos annos hisce lectionibus interfuisse
glorior:

Ill. Otto artem cadavera dissecandi et me-
thodum sectiones forenses rite instituendi me
docuit, nec non interfui ejus praelectionibus de
Anatomia universa, de Anat. hominis et bruto-
rum comparativa, de Anat. pathologica, de Osteo-
logia, Syndesmologia, Physiologia et historia foe-
tus humani; Cel. Braniss de Logice; Cel.
Barkow de Osteologia, Syndesmologia et An-

giologia; Ill. Steffens de elementis physicae
experimentalis; Ill. Gravenhorst de Zoologia;
Ill. Glocker de Oryctognosia et Crystallogra-
phia; Ill. Klose de Encyclopaedia medica; No-
biliss. Nees ab Esenbeck, de elementis bota-
nicae et plantarum Physiologia; Cel. Goep-
pert vero dux benignissimus in excursionibus
mihi erat; Cel. Hemprich de Pathologia. Ill.
Wendt in materia medica et in Syphilitide
praeceptorem benevolentissimum contigisse laete
confiteor; Ill. Benedict. de Chirurgia generali
et speciali, de fasciarum et armamentorum doc-
trina audiui; Ill. Fischer de Chemia cum theo-
retica tum practica et pharmaceutica; Cel. Sei-
del artem formulas medicas rite conscribendi
me docuit; Ill. Purkinje de Toxicologia; Ill.
Remer de therapia et universali et speciali
praelectionibus interfuisse laetor.

Anno MDCCCXXXI Berolinum me contuli
et die III. Decembris ejusdem anni ab Illustris-

simo Marheinecke civibus Universitatis litt.
Fridericae Guilelmae adscriptus, beato Rudolphi
t. t. Decano in numerum medicinae studiosorum
receptus sum. In hac literarum sede virorum
magnopere mihi colendorum Nobiliss. de Graefe,
Clinico chirurgico et ophthalmiatrico, Ill. Wolff
et Ill. Bartels medicis interfui. Ill. Kluge ar-
tem obstetriciam cum practicam tum theoreticam
me docuit; Ill. Casper de Cholera asiatica au-
divi. Ill. Hufeland et Ill. Osann duces mihi
fuerunt in policlinico medico benevolentissimi et
summopere mihi venerandi.

Tentamine philosophico et medico, nec non
examine riguroso coram gratioso medicorum
ordine rite absolutis, spero fore ut, dissertatione
thesibusque defensis, summi in medicina et chi-
rurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Vis vitalis sanguini non deneganda.

II.

*Crusta pleuritica sola cernaesectionem repeti
non jubet.*

III.

Homoeopathia in morbis acutis plane rejicienda.

IV.

Curam radicalem semper causalem esse oportet.

V.

Dentitionem infantum morbum esse nego.

24ColorCard Camera



~~DICTIONARY~~

SOME TIGHT
GUTTERS